

Acer amor, si fas, operi jam parce cruento,
 Heu gnatum, heu matrem perdis! imago duos
 Sauciat una. Procul, procul istinc ducite Divam,
 Humani sensus si quid inest animo,
 Quisquis ades: fidæ comites abducite Divam
 Vos longe; matrem Filius heu! miseram
 Vulnerat adspectu; maternum faucia pectus
 Adspectu gnatum vulnerat illa suo.
 Ah! nobis, ah! quid fiet, si tempore in uno
 Utraque deficiat vita? quod heu! superest
 Solamen fessis hoc rerum in turbine? cuinam
 Linquimur? Hæc potui, dicere, docta cohors,
 Quod restat, si quis tam firmum pectore vates
 Robur habet, mœstis versibus expediat.
 Me juvat hic tacitum largo tabescere fletu,
 Odit sollicitus verba diserta dolor.

ELEGIA II.

DE BONO ÆRUMNÆ.

Nunc me nec cœlo monstratum cernere fidus,
 Sancta nec Eoos ducere ad antra duces,
 Nec quæ hodie, Socii, patrum de more novastis
 Ad Domini cunas dicere vota juvat,
 Mœrentemque, vagumque animi, nec verba diserta
 Jam struere, & blandæ fila movere lyra
 Optantem, solo tacitum sed flere cubili,
 Et tristi mœstas imbre rigare genas
 Tempore in hoc duro, nostræ quum tot mala gentis
 Sollicitum curis omnibus excruciant,
 Pervelluntque acti morfu, retrahuntque parantem
 Has me ad musarum vertere delicias.

Heu